

Quaestiones disputatae (Florence, Bibl. Naz. D. 6. 359)

Transcribed by Tuomas Vaura¹

Abbreviations

add.	addidit
del.	delevit
fol.	folium
marg.	marginē
om.	omittit
[...]	additio
<...>	additio editoris
(?)	lectura incerta

Quaestio 3: *Utrum pati sit proprie proprium materiae?* (fol. 97v)

Usta (sic) hoc quaeritur, utrum pati sit proprie proprium materiae? Et videtur quod non, quia illud, quod potest alteri convenire, non est proprie proprium. Sed pati potest alteri convenire, ergo etc. Maior patet, minorem probo, quia certum est quod accidentia, quae remanent in hostia consecrata, nullam habent materiam, et tamen patiuntur suscipiendo caliditatem, et frigiditatem, et etiam motum. Nam omnis motus est in mobili, secundum Philosophum.² Illa vero moventur.

Praeterea, formae, quae suscipiunt magis et minus, cum eis additur aliquis gradus, certum est quod illud recipiunt. Talis autem receptio quaedam passio est, ergo etc.

Contra, Boethius

volens probare quod in Deo nullum sit accidens, probat per hoc, quia dicit, quod illud, quod non habet materiam, nullam formam potest recipere. Sed in Deo non est materia, ergo nullum accidens potest recipere. Sed istud argumentum nihil valeret, nisi pati esset proprie proprium materiae, ita quod nulli alii convenire posset.

Item, secundum omnes, tam philosophos quam sanctos, materia et forma distinguntur ab invicem per agere et pati, quia agere est proprium formae et pati materiae.

Item, illud quod inest

¹ The transcriber would like to acknowledge the funding from the European Research Council for the research project *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* under the grant agreement n. 637747. The line division of the transcription follows the line division of the manuscript.

The transcription may be cited as follows:

Quaestiones disputatae q. 3, Tuomas Vaura (ed.), *Rationality in Perception: Transformations of Mind and Cognition 1250-1550* -project. URL = <<https://blogs.helsinki.fi/rationality-in-perception/texts/>>. 2019.

² Aristoteles, *Physica* III.3, 202a.

alicui primo et per se et in quantum tale est sibi proprie proprium. Sed materiae inest secundum se et in quantum materia pati, ergo est sibi proprie proprium. Maior patet, minorem probo per Philosophum in *I De generatione*,³ ubi ponit in capitulum de agere et pati, quod materia secundum se et secundum quod materia est passivum. Et subdit ibi, quod si esset possibile aliquam caliditatem esse separatam a materia, quod illa nullo modo posset pati, ergo etc.

Respondeo ad quaestionem

istam, qua quaeritur, utrum pati sit proprium materiae, distingo de pati sicut distinguit Philosophus in *I De generatione*,⁴ et dico, quod aliquid potest dici pati dupliciter. Uno modo sicut subiectum recipiens aliquid informative.⁵ Alio modo sicut terminus per passionem tollendus. Primo modo pati est proprie proprium materiae,⁶ sicut bene probant rationes factae in arguendo, et etiam probari potest per multas auctoritates. Nam Plato in *Timeo*⁷ loquens de materia dicit, quod ipsa est receptaculum omnium, quae gignuntur. Et Avicenna, *II Metaphysicae* suae *capitulum I*,⁸ omne quod est in subiecto est in subiecta materia, sed non convertitur.

Item, Philosophus, *II Metaphysicae*,⁹ vult quod materia non est substantia determinata, nec qualis, nec quanta, sed in potentia ad omnia ista recipienda, quia materia est id quod est in potentia.

Item, *V(?) et IX Metaphysicae*, ad potentiam materiae reducitur omnis ratio potentiae passivae.

Item, *II Metaphysicae*,¹⁰ materiam in eo, quod movetur intelligere necesse est.

Item,¹¹ Commentator, *Super finem I Physicorum*,¹² dicit secundum mentem Philosophi, quod transmutatio docuit nos materiam. Et in *II Metaphysicae*, oportet materiam imaginari in re mota. Et in *XI*, omnia quae transmutantur habent materiam, et in eodem, causa potentiae passivae et receptivae in quibus est potentia materia est.

Item, *Super VIII Physicorum*, dicit, quod haec propositio est <98ra> convertibilis, quod simplex est caret potentia, et quod caret potentia simplex est. Potentia enim est causa alicuius ex duobus substantiis.

Et Augustinus, *VII liber Super*

³ Aristoteles, *De generatione et corruptione* I.7, 323b-324b.(?)

⁴ Aristoteles, *De generatione et corruptione* I.7, 323b-324b.(?)

⁵ vel *informativae*

⁶ scripsit sed del. *formae*

⁷ Plato, *Timaeus* 49a.

⁸ Avicenna, *Metaphysicae* lib. 2, cap. 1.

⁹ Aristoteles, *Metaphysicae* I.8, 989b.

¹⁰ Aristoteles, *Metaphysicae* II.2, 994b.

¹¹ *Commentator* [...] in *re mota*, cf. Henricus de Gandavo, *Quodlibet* IV, q. 16, p. 294.

¹² Averroes, *In Metaphysica* lib. 8, comm. 12.(?)

Genesim ad litteram,¹³ si anima esset quid incommutabile, eius materiam non deberemus quaerere.

Item, *XII Confessionum*,¹⁴ materia non est corpus, nec animus, set capax omnium formarum.

Et sic patet per dictas auctoritates quomodo pati primo modo sumpto est proprium materiae. Secundo modo pati est proprium formae ab agente creato. Hoc dico, quia ab agente increato etiam materia posset pati isto modo, cum ab eo possit adnichilari. Et quod forma isto modo patiatur, patet, quia illud quod corrumpitur patitur. Sed forma proprie corrumpitur, ergo proprie patitur isto modo, et sic patet quaestio.

Ad primum argumentum in contrarium, dicendum, quod accidentia panis, quae remanent in hostia consecrata, non patiuntur per receptionem formae, quia illa caliditas sive frigiditas quae ibi recipitur, non recipitur sicut in subiecto, sed simul divina virtute coexistit cum illis formis, quae sunt ibi sine subiecto.

Cum(?) vero ulterius dicebatur de motu, dico, quod motus aut est naturalis, aut violentus. Si naturalis, habet fieri a forma, quae est cum illis accidentibus, scilicet a forma gravitatis vel levitatis, quae ibi remanent sicut alia accidentia panis. Si vero sit motus violentus, tunc habet fieri ab aliqua vi et qualitate impressa ibi, et talis forma non est sicut in subiecto, sed simul coexistit cum aliis accidentibus.

Cum(?) vero dicitur, quod motus est in mobili sicut in subiecto, dico, quod si est motus ab locus, non dicit aliquam formam de novo superadditam mobili, sed solum quendam respectum. Si vero sit alius motus, non est aliud quam¹⁵ ipsa generatio vel corruptio.

¹³ Augustinus, *De Genesi ad litteram libri duodecim* lib. 7, cap. 6.

¹⁴ Augustinus, *Confessionum libri tredecim* lib. 12, cap. 6.

¹⁵ Scripsit sed del. o